Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1521
Quelle:
Copyright:

rum ab *Ottone* I. usque ad *Fridericum* II. post quem excidit folium, ut adeo, in quo Imperatore desierit Chronologus noster, nesciamus. Chronologum adpello; nihil enim fere praeter regiminis adfert annos. Sub *Claudio Lucium* (Pomp.) *Melam historicum*, sub *Trajano Plinium Veronens. oratorem* &c. claruisse ait. Denique ad *Probum Martini Chronica* citat, unde non ante finem Sec. XIII. scripsit.

IV. in membrana Thecae posticae adglutinata habetur Fragmentum hac clausula miniata: *Epistola domini Friderici Imperatoris ad papam Explicit super depositione eiusdem.* Est vero inter *Petri de Vineis Epistolas L. I. prima* a verbis: *Non enim est hoc romani Pontificis, cui pasce dictum est oves meas* &c. Cum videam, harum saepe inanium Declamationum Lectiones varias in Edit. *Basil.* 1740. admodum religiose adnotatas esse, ego quoque partibus meis haud deero. Lego igitur *omni prorsus solicitudine* pro *solatio.* Item *expectat principem* pro *expectans.* Item *et est mirum* pro *et nec est mirum.* Dein *iacenti tunc temporis* pro *latenti.* Denique *semel parcere instanti et persepe* pro *insonti semel parcere sæpe.*

In Theca anteriore notatur: *Istum librum emit M. Franciscus de Retza 1407. in die Gordiani et Epimachi pro 1. den. Wienn. qui valde caute legendus est, quoniam pocius offensor pacis quam defensor est.* Emit autem pro Conventu Ord. sui, ut legitur *fol.* 121. Dixi de Autore hoc *Comestorii Vitiorum* in *Memorab. Bibl. Garell.* p. 35. et horum Commentar. *Vol.* I. P. 2. *col.* 1342. Paullo infra adscriptum: *Frater Jacobus Hoochstraten.* Cui Literatorum ignotum nomen? Verum, an hic ejusdem Ord. Praed. Vir unquam *Viennam*, an Codex noster ad *Rhenum* delatus fuerit, ignoro. Fortasse pro Inquisitoris munere nomen ei suum inscripsit. Vide de illo *Scriptt. Ord.* T. II. p. 67.